



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Reverendissimo Præsuli Ac Domino. D. Michaeli Vandersmissen, Dei Et
Apostolicæ Sedis Gratia Exempti Monasterii Sancti Trudonis Abbati
Dignissimo, Eivsdemqve Oppidi Domino, Toparchæ In Webbecum, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

REVERENDISSIMO PRÆSULI
AC DOMINO.

D. MICHAELI
VANDERSMISSEN,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EXEMPTI MONASTERII

SANCTI TRUDONIS

ABBATI DIGNISSIMO,
EIVSDEMQUE OPPIDI DOMINO,

TOPARCHÆ

IN WEBBECUM, HELIKTEREN, SENY, ALEM, HALMAEL,
BORLOZ, BURINGEN, MAYSSEN, DONCK, &c.



OLENNI quodam Librorum
æquè ac Liberorum fato jam du-
dum comparatum est, REVE-
RENDISSIME DOMINE, ut
utrorumque Parentes, novos
Proli mox nascituræ, hi Patri-
nos illi Patronos inquirent, qui in suscepta
commissorum sibi Pignorum tutela, commu-
nes omnium æqualiter parentum defectus, vel
curæ additamento suppleant, vel patrocini-
munimento compensent. Cæterùm nascentem
hunc Ingenii Fœtum alia, proh dolor! haud
paulò gravior fati necessitas, Libris etiam Li-
berisque non rarò communis, constringit;
ut non priùs ipse lucem videat, quàm lucis suæ

* 3

Aucto-

E P I S T O L A

Auctorem luce spoliatum defleat. Posthumo siquidem partu editus, Parentem in medio obstetricantis præli officio extinctum perdidit. Unde factum est, ut velut Pupillus, tacito per orbem ambitu, cogatur quærere, non tantùm vicarium Patroni Favorem, verùm etiam superstitem Parentis Amorem, in uno eodemque præstantis alicujus Mecænatis pectore, ab ipsa quasi Natura insculptum, & penè ingentum. Duplici enimverò huic muneri parem, neminem planè unum inventurum se existimaverat. Cùm ecce præter spem, in ipso statim primæ inquisitionis limine, occurrit Nobilissimum juxtà ac Antiquissimum *Sancti Trudonis* Monasterium; in quo Mecænatem speciali geminæ hujus Tutelæ privilegio insignem, divinâ sibi virgulâ commonstrari, cum ingente exultantis animæ lætitia, arbitratur. In Te enim, REVERENDISSIME PRÆSUL, quàm primùm oculos, non sine veneratione, conjicit; & Patronum se potentissimum, & Patrem simul amantissimum invenisse certò confidit. Quem namque Patronum speret potentiorum eo, qui & lemniscatis plurimarum in stadio Theologico victoriarum palmis nobilitatus, & eminente quadam Sacræ Prælaturæ dignitate exornatus, tam sciat fallaces Sophistarum, furtivam quasi ruinam struentium, insidias erudita ingeniosæ mentis acie detegere; quàm valeat importunas antagonistarum, vim magis apertam

DEDICATORIA.

apertam inferentium, machinas invicto tantæ Auctoritatis præsidio disturbare? Quem etiam Patrem optet amantiorem eo, apud quem in jucundissimo illo *Trudonopoli* novorum quasi Fratrum convictu, propè singulos contubernii sui Collegas, quâ huc primò adventantes, quâ hinc deinde recedentes, benignissima Charitatis penè dixeram plusquam Paternæ viscera expertos non semel esse manifestâ quotannis experientiâ cognoscit? O foelicem Clientis sic deserti fortunam! O exoptabilem Pupilli sic orbati sortem! Qui idcirco in luctuosum tam inopinæ orbitatis naufragium incidit, ut prælucente sibi foelicissimâ *Sancti Trudonis* Pharo, ad inexpectatum duplicis Clientelæ portum porrectâ velut divinitus tabulâ enataret. Nam si custodem, si defensorem, si Patronum nuditatis suæ quærat; ubi certiolem, quàm in notissimo calamitatis perfugio inveniat? Si fautorem, si nutricium, si Patrem orbitatis suæ ambiat; ubi fidiorem, quàm in publico Charitatis Asylo obtineat? Sub fortunatissimis scilicet Nominis Tui auspiciis, tantum completæ cujusdam foelicitatis cumulum, non vano sibi augurio, ominatur; quantum, si reliquum terrarum Orbem investigando peragrâisset, ne sperare quidem potuisset. Hinc ævi sempiterni perpetuitatem, hinc famæ gloriosæ celebritatem, hinc livoris maligni immunitatem, hinc defensionis justæ Patrocinium, hinc dilectionis

E P I S T O L A

lectionis Paternæ charitatem sibi *Nec temerè,*
Nec timidè præfagit. Spem perpetuitatis ex-
 citat longæva celeberrimi Monasterii antiqui-
 tas, continuo decem sæculorum curriculo
 confirmata. Cælebritatem conferet eximia
 specialis cujusdam ac Toparchicæ prærogati-
 va Prælaturæ. Immunitatem omnium inju-
 riarum spondet singulare Exemptionis privile-
 gium. Patrocinium firmissimum præstabit pu-
 blicis jam dudum monumentis consignata,
 quin imò ipsis Magisterii Laureis sublimior,
 eruditissimi juxtà ac ingeniosissimi Patroni do-
 ctrina. Amorem denique verè genuinum &
 cognatum exhibebit, non solùm egregia tam
 benigni Parentis charitas, verùm etiam con-
 juncta tot Charissimorum simul Filiorum dile-
 ctio, dum Pupillum hunc, simili Religiosæ
 Fraternalitatis spiritu animatum, in idem secum
 communis Parentelæ consortium privilegio fa-
 voris planè singularis admittent. Eia ergò,
 REVERENDISSIME DOMINE, posthumi tu-
 telam Pupilli, velut adoptatus omnium hujus
 Collegii Sociorum Parens, dignanter assume.
 Orbati Patrocinium Clientis velut Patronus,
 omnibus cùm Doctrinæ tum Auctoritatis or-
 namentis insignis, benignè suscipe. Suscipe
 inquam, Dignissime regularis disciplinæ An-
 tistes, hanc *Morum Regulam*; quam Au-
 ctor suus, ab omni semper opinionum novi-
 tate abhorrens, ab omni salutaris rigoris laxi-
 tate

ainoibol

tate

DEDICATORIA.

tate quàm remotissimus, velut antiquis Ecclesie moribus conformem, & communi Conscientie etiam religiosissimæ securitati mirum quantum consulentem, ultimo vitæ spiritu hisce curis impenso consignavit. Suscipe Posthumum hoc defuncti Pignus, vivis universi Collegii nostri votis ac desideris Tibi consecratum. Et sic benignus annue, ut literatum hoc mortui monumentum, inscriptione Nominis Tui animatum, toti mundo eloquatur, non tantùm Patronum Te ac Parentem sibi superstitem extitisse, sed etiam universos hujus Collegii Alumnos, Clientes ac Filios Tibi & Monasterio Tuo amantissimo semper fore devotissimos. Hoc quàm humillimè vovet, hoc optat, ipso die octavo Maii, honori S. Michaëlis Archangeli Tutelaræ Vestri sacro, Anno Domini 1677.

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ,

Obsequiis semper addictissimum

COLLEGIUM ANGLICANUM
Societatis JESU Leodii.

INDEX

APPRO-